









DISCIPULI POLITICA

INSTITUTIONAL

TRICO

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI

CHRISTIANI



226



Pres.

10

1668

26

11

I. N. J.
DISPUTATIO JURIDICA

De

SPONSIONIBUS,

^{Quam}
MAGNIFICI JCTORUM WITTEBERG,
ORDINIS
CONSENSU,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO atq; AMPLISSIMO

DN. GODOFREDO Strauß/

J. U. L.

P. P.

LUDOVICUS Genß/ Dresd.

die Maij. In Auditorio Jctorum

Horis matutinis.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, M. DC, LXVIII.

52.







JUVANTE DEO!

Prooemium.

Slactionum humanarum, quæ se in Rep. dant ad manus, varietatem pensus paulò consideremus; ex iis alias quæ maximè necessarias deprehendimus, utilitatis notâ commendabiles alias, alias demum jucunditatis oblectamento suscipiendas. Usu equidem exigente & humanis necessitatibus omnes penè contractus introductos §. 2 *J. de J. N. G. & C. L. s. de J. & J.* reliquos vero pro utilitate singularum Rerump. inventos novimus *argum §. 1. J. de J. N. G. & C.* Sive enim contractus reales sive consensuales spectes, eorum necessitas ilicò inclarescit. Non fert omnia quælibet tellus, hinc regionum defectus abundantia exoticarum mercium commodè supplet, quæ modò permutationis, modò emptionis medio ad alterius gentis cives deveniunt. Sed nec quos civile Jus superinduxit contractus, præter rem censendi temerè veniunt. Refert enim non parum, certum prostare modum, quo stipulando quis ab altero sibi acquirere possit: refert & in publicum prodest, ipsa chirographa post certum temporis spatium efficacem agendi facultatem progignere. Et hæc actiones omnes ex necessitatis & utilitatis axiomate consistunt: quæ vero jucunditatem pariunt & oblectationem spirant communiter ludorum nomine insigniuntur. *vid. Job. de Discastillo. L. 11. Tr. 18. disp. & Dub. 1.* In quem censum idem *Job. de Discastillo* sponsonem refert: cum hæc species ludi æstimanda sit. Nisi forte illam utilem magis quam ludum Reip. asseverem; cum sapius per sponsones ad virtutem excitentur homines. Certum est, ejusmodi contractum in magnis Emporiis admodum esse frequentem. *conf. Dn. Job. Octhon. Tab. in Juriss. Elem. part. 3. th. 38. Hinc Bonavent. Stracha de mercat. Tr. de Sponson. 1. testatur, singulis se diebus circa Sponsones versari vidisse.*

disse mercatores *conf. eund. p. 3. n. 5. p. 212. & Speidel. in Notab. voc. Wetten p. 1360.* Quo ipso sui inductus, ut de utili non minus quam jucundâ hâc Sponsonum materiâ verba facere necum constituerim. Atq; in hoc quidem arricuo ita me geram, ut juxta methodum philosophicam & Jctis hætenus recepram, quantum ejus fieri potest, destinata expediam. Det Deus feliciter!

CAPUT I. De Definitione Nominali.

THES. I.

Cum exquisitori verborum notitiâ in ipsius rei naturam provehamur felicius; Sponsonis quoq; naturam hic extricasse juvabit. Dicta vero eadem à spondendo *vid. Wissemb. ad l. 7. de V. S. n. 14.* quia eadem Sponso per mutuam stipulationem & promissionem plerumq; celebrari solebat. Alii inde quod sponte illa fiat *Besold. in Thes. Pract. voc. Wetten.* Ut ita spondere dicar idem ac sponte dicere, dare ac promittere *Gadd. ad d. l. 7. n. 16.*

II. At Sollicitiori paulò cura vocis ambiguitas evolvenda erit. Patet enim sponso mox latissime in omnem promissionem, uti in *l. 7. de V. S.* ubi hæc habentur: *Sponso appellatur non solum qua per sponsus interrogacionem fit; sed omnis stipulatio & promissio.* Quibus verbis depingit nobis Jctus sponsonem primùm remotivè, quod ea adeò angustè non coarctanda veniat; ut saltem actû sponsonis qui interrogacione & responsione solenni fit, contineat: deinde positive, quod quilibet stipulatio & promissio, quibuscunq; verbis concepta, utpote. dabis? dabo. Fidejubes? fide jubeo. Facies? Faciam. & quibuscunq; demum verbis fiat comprehendatur.

III. Ambitum illum diffusum eximie adstruit *l. 30. ff. de R. G.* ubi debitor futurus suo creditori sponsondisse intuitu pecuniæ

cuniz olim reddenda legitur, non nominatò vel contractu
stipulationis vel pacto. Sed & lex communis Reip. vel civi-
tatis sponsio appellatur. *l. 2. ff. d. LL. quod in Rep. Democra-
tica Romanorum, Consuli vel Senatori interroganti Legem
respondebat Populus; & responsione suà ad illam servandam
cives singulos obligabat. Etenim de quolibet contractus &
Pacti genere prædicari sponsionem Ulpianus, in l. 7. §. 12. de
Pact. haud contemnendus auctor est, ubi tradit: Quod se-
rè novissimâ parte pactorum ita solet inseri, roga-
vit Titius spondit Mevius: hæc verba non tantum
pactionis loco accipiuntur; sed etiam stipulationis.
Ideoq; ex stipulatu nascitur actio: nisi contrarium
specialiter approbetur, quod non animo stipulanti-
um hoc factum sit, sed tantum promittentium.*
Undè ad oculum patescit, sponsionis vocem non circa stipu-
lationem tantum quamvis; sed ipsum etiam pactum haud in-
frequenter adhiberi. Breviter: hoc sensu spondere idem est
ac promittere. *add. Jason. in l. 108. de V. O.*

IV. In specialiori sensu non uno itidem modo nostrum
sponsionis vocabulum capitur. Nam & pro intercessione ap-
poni assolet. *vid. Alciat. l. 7. d. V. S.* Quo sensu finit Accurs.
*in Auth. Præsentie C. de Fidej. verb. Intercessor Sponsorem, qui
pro alio intercessit. conf. Strach. de mercat. tr. de Spons. part. 1. n. 4.*
Ita sponsores dicebantur, qui pro candidatis intercedebant,
ne illi ambitus rei essent. *conf. Cicer. pro Quinct. & ad Attic.*
Nihil autem interest, sive quispiam rogatus, sive non roga-
tus, sive solenni stipulatione sive nudâ promissione pro alio
intercedat. *add. ad l. 7. de V. S. n. 17.*

V. Per Tribunalium quoq; amplitudinem vis nostræ
vocis se diffundit. Ita enim fac possessionis controversiam,
incidisse & actorem contra reum, ex interdicto unde vi egis-
se, judicemq; pro actore, ut ipsi restituatur possessio pronun-
cialle §. 6. f. de Interd. tum vero si reus obtēdebat se restituisse
omnia, actor vero inficiabatur; hoc denud enatum Litigium
Spon-

Sponsio vocitabatur. *vid. Calvin. in Lexic. Jurid. verb. Sponsio.* Sed & in petitorio olim iudicio non incognita sponsio erat. Solebat enim petitor reum, intentionem suam negantem, spon-
sione Sacramenti provocare hoc modo: *quando negas hunc e. g. servum meum esse, Sacramento te provo-
voco, & spondesne*, quingētos si meus sit? Id est si meum es-
se probavero. Tum vero reus: *Spondeo si tuus sit.*
Idem verò restipulando rogabat: *Et tu spondesne quin-
gentos ni tuus sit*, i. e. si tuum non esse probavero: cui ite-
rum petitor: *Spondeo, ni meus sit.*

VI. Alio adhuc sensu pradicatur nostra vox de ma-
trimonio ineundo. Quam in rem disserit *Ulpianus in l. 2. d. sponsal Sponsalia* autem dicta sunt à spondendo: nam
moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. Quibus verbis Ictus sistit primum etymologi-
am Sponsaliorum. Sponsalia nempe à spondendo sic dicta
fuisse, unde & partes ineuntes, sponsi sponsæq; salutantur. *vid. Salmuth. in Panciroll. memorab. tit. de nupt. p. m. 676.* Tum deinde
subnectitur ratio hujus notationis, quod nempe in contra-
hendo matrimonio, stipulatio & sponsio intervenerit. Qui
enim generi affectabat nomen ita futurum Socerum inter-
rogabat: *Despondesne mihi filiam tuam?* Responde-
bat Socer: *Spondeo* *vid. Plaut. in Aulularia. Act. 1. Sc. 4. & Tri-
nummo. Act. 5. Sc. 2.*

VII. Succedit nunc in partes sponsionis ad nostrum
thema spectans significatio, qua in spon-
sione stipulationis actum
quo pignore plerumque deposito contendunt inter se qui-
dam de negotii veritate vel eventu, ut certamine superi-
or in stipularum deductam pecuniam ferat. Atq; sub hanc
notionem usurpatur in *l. pen. ff. de Aleat.* Quorsum & *l. si gratui-
tam 17. §. fin. de Præser. verb.* allegare habeo, ubi annulorum
simul depositorum mentio inijcitur. Olim enim, quod præ-
clare

clare *Plin. l. 33. c. 1.* advertit, in Sponfionibus annulorum pignoribus certatum fuit.

VIII. In hunc modum accepta Sponfio variè potiffimùm apud diverfas gentes effertur. Dicitur itaque sponfio hispanicè Apuesta vid. *Gomez. Tom. 2. cap. XI. n. 4. & Molin. tr. 11. disp. 108.* Gallis vero Gage rest. *Gothofr. ad l. 108 ff. d. V. O.* id quod, tamen obsoletum puto, siquidem legitur potius passim in libris gallicâ Lingua conscriptis Gageure. In lingua Anconâ dicitur Scommella, vid. *Strach. de Mercat. tr. de Sponfionib. n. 3.* Nuncupatur quoq; Guadia. vid. *Azon. in rubr. C. de re & sumpe sum. & alea lusu & c. n. 4. & ex eo Strach. d. l. n.* It. appellatur ea quandoq; Conditio ap. *Alex. vid. Strach. d. l.* Caterum non errare ait, *cit. Strach. d. l.* eum, qui Sponfionem divinatione appellaret. Fortè quod Ipse Deus fortuna cursum pro arbitrio suo modereur. Germanice vocatur sine Wette it *Wetting conf. Besold. in thes. Pract. voc. Wetten & Hahn. ad Wesemb. in ff. T. de Alea. n. 4. p. 765.*

CAPUT II.

De

Definitione Reali & fundamento ineundi Sponfiones.

THES. I.

IN definienda Sponfione diffident paululùm inter se Auctores. Antesignanus ex moralium Doctoribus Molina de *J. & Jur. tr. 2. disp. 108.* definitionem nobis hanc exhibet: *Sponfio est contractus, quo in re dubia, unus pro una parte & alius pro alia spondet, seu pecuniam, s. quodvis aliud, ut is lucretur, qui eventum rei ve veritatem attigerit.* A quâ non multum diversa est Amesii de conscient. lib. 5. cap. 45. hæc: *Sponfio est contractus, in quo*

quo duobus circa veritatem aliquam contendenti-
bus, vicissim aliquid spondent, ex quo premio affi-
ciatur is, qui veritatem fuerit assecutus, & pœ-
nâ ille qui veritatem non attigerit.

II. In limine statim definitionum harum id mihi noto,
quod contractus, si accuratè ponamus calculum, generis vi-
cem in præsens subire haudquaquam possit. Aliud enim est
ipsa Sponsio: aliud contractus, quò illa perficitur. Illa ipsum
actum dicit: hic ineundi modum. Ita & aliud est transactio,
aliud transigendi modus; decisio aliud, aliud itidem deciden-
di medium. *conf. Dn. Hahnium* (cujus modò obitum acerbè no-
biscum luget literatus orbis) *ad Wesemb. in ff. de transact. n. 2 p.*
418. Sed inquis, vocatur tamen Sponsio contractus, sic ut idè
nomen fortitur transactio. Sed ergonè idèò quodlibet
rei nomen in locum generis succenturiabis? utimur
quandoque Tropis, utimur figuris in enunciandis rebus,
sed nò satis benè, si alia suppetant ejusmodi generibus. In de-
finitionibus enim quâ propriissimè loqui oportet. Sponsionè
vero Metonymicè contractum vocari, quis non videt?

III. Dum porrò pro Objecto substornit rem dubiam
Molina, id monendum videbatur, sapius non intuitu utrius-
que, sed alterutrius saltem spondentium materiam sponsionis
esse ambiguam. Hinc non rarò fit, ut in sponsionibus, facto-
rum veritatem concernentibus, res præsertim ratione alteri-
us sit liquida, licet fortè alter sibi eam persvaderi non patia-
tur. Tum verò in Amesiana definitione vocabulum veritatis
in ampliacionis statu explicandum fuerit, ut simul eventus rei
includatur. Non minus enim de rei eventu, quam negotii ali-
cujus veritate Sponsiones iniri hætenus consueverunt. Id
quod infra clarius demonstrabitur.

IV. Besoldus *in tibi. Pract. voc. Wetten Sponsionem*,
finit, promissionem quandam reciprocam, quâ quis
perdendo obligatur, vel pecuniam vel aliquid ali-
ud solvere. Dn. Struv. in Syntagm. J. Civ. exerc. 15. tb. 58. sibi ex-
isti-

istimat, *Sponsiones nihil aliud esse, quam mutuas de re cuius dubius est eventus, stipulationes conditionales, ut nimirum Titius e. g. Cajo præstet 100. si Augustus Rex fuerit electus, è contrario Cajus Titio, si Augustus non fuerit electus.* Verum & hæc definitiones si ex prioribus suppositis expulentur, difficultate sua non carent.

V. Omnium optima igitur tandem Hahnii definitio visa fuit, qui cit: supr. loc. hæc habet: *Sponsio est actus cōtendentium de veritate aut eventu alicujus rei, ut victus aliquid pendat & solvat victori.* Conceptum contrahibilem facit Actus, vox multarum rerum & exprimendarum & describendarum capax. Ita in jure nostro mox speciem servitutis induit, & jus agendi jumentum vel vehiculum denotat. *pr. f. de S. P. U. & R. Quo sensu Cagere proprie ad animalia pertinet. l. ferri 235. pr. d. V. S. vid. Wesemb. in paratit. d. S. P. R. n. i. & Laurent. Vallam. 6. elegant. 51.* Modo ad legis actiones refertur, & ita importat actus legitimos seu solennes, qui certo ritu legibus introducto constant, certisq; verborum formulis sunt circumscripti *v. l. 2. §. 6. de O. f. L. 2. 3. de Offic. Proc. l. 4. de adopt. & Wisemb. ad R. f. disp. 11. ad l. 77. ib. 1.* Quales actus sunt mancipatio acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio datio tutoris, *v. d. l. 77. de R. f.* In latiori ambitu si capimus, actus in seculares & Ecclesiasticos difflunt. Illi iterum in civiles & feudales. Civiles in judiciales & extra judiciales. Judiciales, in actus Jurisdictionis voluntariae & contentiosa. Illi iterum in legitimos & simplices *d. l. 77. hi in actus primæ & secundæ instantiæ. Dn. Job. Ortho Tab. in part. Elem. part. 3. sect. 3. ib. 31.* In præsens generaliter planè hoc verbum accipimus ut æquipolleat facto *arg. l. 19. de V. S.* Quemadmodum enim qui stipulatur, qui credit pecuniam, qui vendit, emit, locat conducit, paciscitur testatur &c. agere vel facere quid dicitur. *l. semper 34. d. R. f. l. 7. §. fin.*

de Cur. sur. l. 7. §. 12. de Pass. §. 10. 7. de Testam. W&semb. comment. ad ff. T. de V. S. disp. 8. ib. 17. ita etiam spondentes agere invicem aptè prædicabuntur. Ex quo principale generis postulatam conficitur, quod nempe latius ac augustius suo definito esse amet.

VI. Sequiora definitionis verba conceptum, quem contrahentem Metaphysici vocitant, absolvunt. Petitur vero differentia primùm ab Objecto, quod cernitur in veritate vel eventu alicujus rei. Quâ ratione statim elucescit eximium inter stipulationem & sponsonem discrimen. Omnis enim res quæ dominio nostro subjicitur, in stipulationem deduci potest *pr. 7. de inutil. Stipul.* & ita de dominio plerumq; transferendo agitur *l. 25. §. 1. de contrab. empt. vid. Dn. Struv. ad π. exerc. 19. ib. 5.* in sponsonem vero rei vel veritas vel eventus saltem veniunt. Deinde insequitur formale, quod contentio de rei vel veritate vel eventu constituit. Quomodo iterum à stipulatione distinguitur, quo de puncto infra. Esse vero contentionem, genuinam sponsonis formam ex facili apparet. Forma enim dat esse rei, seu est id, ut Philosophus censet, quo posito res ponitur & sublato tollitur. Jã vero contentio de rei veritate vel eventu actuat & constituit ipsam sponsonem, producit eam in suum esse, & semota etiam ipsam amovet. Germani concinnè id exprimunt, per vocem *Wetten*. Illud vero hic addendum restat, contentionem non unius plane farinae esse. nam & in disputationis conflictu contendimus, contendimus in judiciis quoq;. Proinde finis quoque subjungendus erat, quod scilicet eò ineat sponso, ut victus aliquid solvat victori. Ut ita formale sponsonis (nam ad summam accuratorem emicare ubique non datur iis qui civilia & contingentia tractant) in contentione de negotii veritate vel eventu sub spe præmii positum sit.

VII. Sed verò ita cum ludo coincidet sponso, ubi de fortunæ eventu, ubi & in expectationem lucri contenditur. Non diffiteor equidem, arctiorem subesse cognationem sponsonem inter & ludum nihilominus tamen per omnia non conveniunt. Est enim quædam ludi species sponso, adeoque
issi

isti non illicò exequanda. Et quamvis de eventu in omni
lusu res esse videatur, non tamen oppidò de veritate est.
Objicis: contentio omnem ludum comitatur. Interim spes
præmii sapius haud propè abest. Quot enim ludi circa lu-
erùm pecuniarum agitantur? Quot ab infantibus & rectæ
rationis usu adhuc destitutis? cum tamen Sponsiones eas per-
sonas exposcant quæ pascisci & contrahere possunt: Siqui-
dem his modis illæ fieri amant.

VIII. Perlustravimus confusè quodammodo naturam
sponsionum, operæ pretium igitur erit antequam ad intimi-
ora digrediamur, earundem honestatem, prout par est, e-
ruere. Tradunt uno omnes ore saniores Moralistæ, quos
vocant, actiones hominum liberæ in tres classes distingere. Esse
nempe vel honestas vel malas vel arbitrarias. *Conf. Dn. Struv.*
in Synagm. J. Civ. exerc. 1. lb. 52 Illæ in se ac sua natura bonæ
sunt adeoq; etiam ab ipso J. Naturali præcipiuntur. Quorsum
religio in Deum & in Parentes pietas &c. spectant. *L. 2 d. J.*
& J. istæ in se turpes sunt adeoq; omittendas eas esse rationis
iridem dictamen evincit: ita naturali jure prohibitum est furtum
admittere §. 11. J. de oblig. quæ ex del. nasc. & adulterio, homicidio
aliisq; criminibus reluctari conscientiam in vulgus notum est: hæc
ante determinationem nec bonæ in se nec malæ sunt, post ean-
dem vero alterutri parti addicuntur: vel ut Amesius d. conf.
Lib. 3. cap. 18. quæst. 1. n. 1. perhibet; sunt quæ ita se habent ad
duo extrema, ut non magis ad unum, quam ad alterum incli-
nent: Exemplo in servit Salomonis præceptum prohibentis,
1. Reg. cap. 2. vers. 37. ne Simei transiret flumen Kidron & si tran-
sisset capital fore. Nam ante prohibitionem illam, transitus
fluminis nec in honestatis nec malitiæ partem propendebat:
illâ vero postmodum insecutâ; actio illa mala efficiebatur.

IX. Jure naturæ non præcipi Sponsionem, in confesso
est, aliàs omittentes eandem enormi peccato se contamina-
rent. Quod hætenus statui nequit. Nam qui cultum Dei in-
super habet, Parentes non colit &c. reatum omnino contra-
hit. Tum verò nec malæ ex suâ naturâ sponsiones existunt,
vid. Dominic. de Soto, de J. & J. lib. 4. q. 5. p. 89. aliàs ipsas ineun-

tes peccati notam incurrerent. Nam qui contra Jus Naturæ agit, conscientiam offendit, hæc vero citra crimen violatur nunquam. Ad adiaphoras igitur actiones referre Sponsiones nulli dubitamus. Ut eæ quidem licitæ sint, interim neq; obedientiæ nec inobedienciæ rationem habeant, sed indifferentes sint & mediæ. Fundamentum hanc in rem accersimus ex convenientiâ Sponsionum cum ludis. Est nimirum ludus permissus, propter animi delectationem, quæ hominibus negotiorum multitudine districtis mirificè prodest. Jam in sponsione eadem ac in ludo ratio, ut hic quidem est, evidenter militat.

X. Quinimo & ad virtutes, utpote urbanitatem & Comitatem referendus ludus est: *conf. Job. de Salas. de Contr. tr. de Ludo. dub. 1. n. 1. p. 639. Job. de Dicast. lib. 2. rr. 18. disp. 5.* quid ni ergo & sponsiones eò reducamus? quippe quæ festivitatem spirant & procidunt per insignem. Quid? quod sponsiones annexam habere soleant conventionem, quâ spondentes de pecuniâ victori dandâ consentiunt? Quod si attendamus ritè, sponsio cum maximè licita erit. *conf. Job. de Salas. diæt. loc.* Nam & propter conventionis accessum concessos ludos esse, *Ludov. Molina. de J. & J. tr. 11. Disp. 510. n. 3. p. 1163.* asseverat. Conventionem enim, quæ in ludo interveniat, posse esse æqualem ab utraq; parte. Ludentes statuendos habiles ad alienandum. Sed & sine vi fraude & dolo exerceri ludos posse. Ordinari quoq; eosdem ad competentem civium oblectationem, juxta rationis regulam capiendam, attentâ qualitate & conditione ludentium, servatisq; loci, temporis, aliisque circumstantiis. Et quamvis lucrum inde spectetur, injustitia tamen emerget nulla: cum contractus utrinq; sit æqualis &c. Quæ omnia de sponsionibus quoq; eximè prædicari possunt: *Conf. hanc in rem Cardinal. de Lugo. disp. 30. sect. 1. n. 1. Dn. Lauterbach. in Contul. forens. exe. 21. th. 6.*

XI. Atq; ex hinc elucescit plus satis, per se licitam esse, & inter bonum ac malum mediam pendere sponsionem. *vid. Ames. cit. sup. Loc. n. 2.* Cùm verò prouutilitate suâ determinassent, *arg. §. 1. J. de J. N. G. & C.* subinde Resp. sponsionum usum:

sum: Tum quoq; propter alias supervenientes qualitates illa nonnunquam in vitiorum semitam divertere cepissent, hinc ab accidenti dividi sponfiones in licitas, quæ Legibus Civilibus permiffæ & super futura honesta causa fiunt. *vid. Heig. 2. quest. Illustr. 10. & Dn. Lauterbach. cit. l. 1. b. 17.* & illicitas, quæ contra legis dispositionem de rebus inhonestis aut dolo incuntur. *vid. Dn. Struv. Exerc. 15. th. 18.* Ita damnamus sponfiones idololatricas. *vid. Job. de Salas de Ludo dub. 1. n. 3.* vel alias quæ ratione circumstantiarum rejiciuntur, utpote si in templo inter sacra celebretur Sponfio: si quis vi eò adigatur, vel apertè per eam fenestra perjurio aperiatur, argum. eorum quæ tradit *Job. de Salas. d. loc. de ipsis Ludis.* Item in modicas, & in immo- dicas, quas statutis nonnullorum locorum merito esse prohibitas annotat *Mevius ad Jus Lub. lib. 3. T. 9. art. 3. n. 41.* Hinc & alii captatoriam Sponfionem rejiciunt, utpote si quis affirmaret; *Er lenne etnen Stadtschreiber der weder lesen noch Schreiben könne. Besold in thes. pract. voc. Wetten.* Qua de re infra plura.

XII. Antequam hinc discedamus non tædet citare no- stri juris textus, quibus disertè sponfiones permittuntur & suis limitibus circumscribuntur; Elegantia sunt, quæ in *l. 2. §. 1. & l. 3. ff. de Aleat.* habentur: *SCTÛ vetuit in pecuniã lude- re, præterquam si quis certet hasta vel pilo jaciendo, vel currendo saliendo, luctando, pugnando quod virtutis causa fiat. In quibus rebus ex Lege Titia & Cornelia etiam Sponfionem facere licet: sed ex aliis ubi pro virtute certamen non fit non licet.* Sed ergone ideo nunquam sponfionem facere licebit, quam ad virtutis incitamentum? Et de reliquorum actuum eventibus varitateve spondendo contendere prohibitum? Ita quidem ex textu hætenus arguitur. At vero si pensus paulò eun- dem introspiciamus, illicò animadvertere licet, virtutis causam, quæ hîc in Sponfionum fundamentum substernitur, non contradistingui reliquis actibus omnibus eosq; in vitio ponere; sed particularibus saltem & hîc enumeratis,

B 3

è dia;

è diametro oppositis, adeoq; vitiosis. Ut sensus sit: quoties
hastæ, pili, cursus &c. exercitium non virtutis causa vel etiã
non iusto loco & tempore suscipiatur, sponzionem desuper
inire, haudquaquam liceat.

XIII. Quam explicationem apprimè roborat L. si gra-
uita. 17. §. fin de præscr. verb. Ubi primò sponzionis causa tuto
deponi annulos & repeti posse asseritur: quod hactenus non
fieret, si Sponzio indifferenter prohibita esset. Tum dein-
ceps in fin. §. optima involvitur distinctio: Utrum sponzio
habeat causã in honestã: an honestã ad eò ut prior arceatur spon-
stior omninò valeat. Jam & honestã sponzionis causa esse po-
test licet non ad eliciendam virtutem procedat. Ita si unus dicat
se intra annum non contracturum crapulam, alter neget, va-
let desuper sponzio arg. L. ex ea parte cautionis. 121. §. 1. de. V. O.
Job. de Lugo. de J. & J. disp. 31. sect. n. 75. Nam in d. L. talis habe-
tur casus: Caja nubens Titio stipulata erat à Titio ducenta
pœnæ nomine, si durante matrimonio concubina consuetu-
dinem repertiisset: conditio existebat, seu Titius insuper ha-
bitã stipulatione asuescebat iterum concubina, constante ad
huc matrimonio, quærebatur num Caja agere ex stipulau
contra maritum potuerit; & respondebatur quod sic; quia ex
bonis moribus concepta fuerit hæc sponzio: Si quidem hi non
admittunt, ut nuptæ mulieri concubina superinducatur vid.
Gothofr. ad. d. L. 121. n. 83. Nunc vero à stipulatione ad sponzio-
nem commoda satis sequela est: si quidem per illã sapius hæc
perficitur. Idem probat. L. si ita. 126. pr. eod si ita sti-
pulatus fuero, si Titius Consul factus fuerit, tunc
ex hæc die in annos singulos dena dare Spondes? post
triennium conditione existente triginta peti po-
terunt.

CAPUT III.

De

Causis sponzionum externis.

THES.

Theſ. I.

Cum quicquid est per suam causam sit, non piget in spon-
sionum quoq; causam inquirere. Efficiens quidem di-
versimodè constituenda videtur, pro ut sponsio mox in actu
signato mox exercito consideratur. Illud accedit quoties in
esse quidditativo & simpliciter excutitur sponsio h. e. univer-
saliter & abstractè declarando ipsam quoad essentiam præci-
sivè; quatenus à subjectis præcindit: Hoc quoties in singu-
laribus multiplicatur sponsio, seu particulariter in subjectis
et concretivè spectatur. Quod si in actu signato sponsonem
nobis sumamus discutiendam, discrimen iterum moliri lice-
at, inter causam ejus efficientem remotam; & proximam. Il-
lam ingenio hominum: hanc Gentium jus, absolvunt.

II. Nimirum ita res habet: dum utilitarum momen-
tis abundare incipiebant homines, sub frequentiora ipsorū
confortia varii subinde actus ad oblectationem & exporrigen-
dam, quod dici solet, frontem suère adinventi. Cum enim
abs se sociabile animal juxta Philosophum homo sit; con-
junctio illa nutriri & sustentari amat, id quod commodè etiam
per jucundiora fieri consuevit. Ne vero exorbitarent in
voluptuosioribus illis actibus homines, juris gent: auctori-
tas fecit, quod finxit quasi & formā suā circumdedit eosdem
actus, ac ita sponsonem quoq; nostram. Nam & contractus
Juri Gentium rectè atq; ordine transcribuntur §. 2. §. de J. N. G.
& C. L. §. de J. & J. licet à singulis primum hominibus haud
incommunè inducti prædicentur.

III. At vero quī Juri Gentium poteris acceptas ferre
sponsones: cum illud saltem necessitate & utilitate Genti-
um exigentibus operetur d. §. 2. §. de J. N. G. & C. hic verò circa
jucunda saltem versetur? Interim non omnis utilitatis opi-
nio hic exulat, modo sponsonum naturam accuratius paulò
recogites. Cerne sponsones virtutis causa susceptas: cerne in-
veritatis indaginem initas, nonne utilitatis pondus persen-
tiffices? Taceo per easdem à temeritate quidvis asserendi de-
terreri dissolutos & suo damno post hæc cautius mercari. Ut
adeo ubi vis insignis utilitas se se commendat. Et vero quam
sæpè

sapè per pacta illa perficiuntur? jam illa juri gentium deberi auctor est JCtus in *L. 7 pr ff de Pact* Quod ultimum tamen argumentum catholicum non est nam & stipulatione tanquam contractu juris Civilis peragi sponsonem novimus: Inde tamen ipsa à jure Civili tanquam causa proxima neutiqvam oritur.

IV. Fluit hinc pleno alveo, Jus Civile incongruè causam sponsonis efficientem nominari. Quamvis enim nomothèsiam Romanam circa Sponsonum materiam occupari deprehendamus; tamen in hoc quidem negotio Jus Civile non per modum causæ; sed receptionis agit, sponsonem jure Gent. jam inductam & formatam approbando. Ita emptio, venditio, locatio conductio, mutuum commodatum depositum &c. contractus Juris Gent. *§. 2. J. de J. N. G. & C.* & tamen Jus Civile, quin & ipse Prator hinc atque illinc de iisdem contractibus disponunt. Unde est, quod ipse Prator dicatur actionem commodati reddere *l. 1. Commod.* quæ inde ramen pratoria haudquaquam erit appellitanda. Evidentius adhuc exemplum in emphytevsi prostat. quæ licet Zenonis lege propriam acceperit naturam. *§. 3. 7 de loc. cond.* tamen inde juri Gent. haudquaquam invidenda erit. Dum enim aliquid de emptione rursus quippiam de locatione participavit, coexistisse iisdem contractibus omnino creditur. *vid. Job. Jac. Wissemb. disp. 36. tb. 12.* Jam si emphytevsi reformata tamen & propria natura induta à jure Civili, nihilominus Juris Gent. remansit: quid de sponsonibus dicemus, ubi ne tale quippiam accidisse constat?

V. Haftenus exegimus efficientem sponsonis in actu signato: Si ejusdem in Exercito considerata causam productricem expetamus, silitur eadem nobis in ipsis spondentibus, qui de cujusdam eventu vel veritate invicem contendunt & mutuo ad aliquod præmium se recipiunt. Possunt vero sponsonem inire, qui pacifici iidemque contrahere possunt. Quem articulum prolixè decurrunt interpp. *ad Tit. de Pact. vid. Dn. Struv. in Syntagm. 7. Civ. exerc. 6. tb. 36. & seqq.* & eundem hinc protrahere, utpote satis notum, nihil attinet, ne alia,
qvæ

quæ præfenti argumento magis quadrant, sicco deinceps
pede transire cogamur. De fœminis tamen quarere placet,
num illa sponfionem inire jure possint? Quod omnino mihi
puto. Est enim quilibet rerum suarum moderator ac arbi-
ter *l. 21. C. mandat. ergo & fœminæ.* Verbum *quisq;* enim non
masculinum solum lexum; sed fœmininum etiam ambitu suo
complectitur. *l. 1. de V. S.* Et sub masculino sexu etiam fœmini-
nus significationis beneficio latet. *God. ad d. l. 1. n. 22.* Hinc &
mulieres jure civili pro lubitu recte contrahunt, suo quoq; no-
mine efficaciter obligantur. *Wesemb. L. 1. c. 11. n. 17. B. Dn. Pa-
rens meus tr. de Cession. cap. 6. memb. 13. n. 1.*

VI. Dum ad impellentem causam provehor iterum
internam aliam, aliam externam reperio. Illa sit no-
bis voluptatis amor animiq; oblectatio, tum quoq; quod
non semel usu venit, studium stimulandi homines ad virtutes.
Hæc, res dubia, ad minimum intuitu unius, sive veritatis in-
certæ negotium. Et hoc est quod *Dn. Carpz. p. 2. c. 19. D. 18.*
notanter tradit, ad sponfionem nunquam deveniri, nisi de re
& causa aliqua dubia & contingente disceptetur. Debet e-
nim quid subesse, de quo non idem duo sentiant altero ajente
negante altero. *L. 1. § 3. de Pact. Finckelr. obs. 33. n. 22.*

VII. Finalis causa est Lucrum pecuniæ quæ ex victoria
crescit. Atq; ita rursus à stipulatione discrepat, quæ non ubi-
vis gratis res in stipulatum deducta stipulanti cedit. Proinde
non satis mecum excogito, quomodo *excell. Vir. Dn. Job. Otth.
Taboris, in part. Elem. part. 3. tb. 38.* sententia satis commodè ex-
plicari possit, qui differentiam stipulationem inter & sponfi-
onem facit nullam: Sed hanc ad illam refert: quod promissio
quædam reciproca in illa occurrat. Dum enim promissio-
nem reciprocã adstruit ejusdem generis obligationem con-
cedit; quò suppositò migrat natura stipulationis, ab una
saltem parte obligationem procudentis. *Vid. pr. J. de V. O.
Dn. Struv. ad. ff. exerc. 18. tb. 1. § exerc. 47. tb. 26.* sed & superius du-
bium recurrit, confundi sic modum ineundi sponfionem cum
ipsa sponfione. Ego verò tanto Viro obloqui religioni mihi
duco

duco sublimiora enim quandoq; miscet, quæ capere non datur quibuslibet. Caterum possunt & alii in sponsonibus quandoq; fines concurrere, utpote excitatio ad virtutem. Id quod in ludis digladiatoribus non raro evenit.

CAPUT. IV.

De

Causis sponsonum internis.

Thef. I.

Materia sponsonum, sunt actus honesti & liciti *vid. L. 17. §. fin. de Prescr. verb.* Quæ propter virtutis causa pactas sponsones subsistere ne quidem dubitari poterat, *per L. 3. ff. de Aleat.* Ex quo textu (quod & supra tetigimus) Azo. ceteras sponsones omnes rejiculas existimat. Hinc & noviter *Witsemb. ad. T. ff. de Aleat. l. 18. rejicit* sequentia sponsonum exempla: *Si Græci expugnaverint Trojam: Si Galli vicerint Hispanos: Si mulier enixa fuerit masculum.* Nec destitui se opinantur hi Viri Clarissimi rationibus, ut scriptos potius se existiment quam firmissimis. Nullum se. in ejusmodi sponsonibus virtutis certamen instituri & lucrum inde captum pro turpi habendum *L. 2. §. 3. de Dol. mal. Et met. except.* quod nullam probabilem conventionis suæ causam reddere concertantes possint. Prohiberi omnem ludum, qui viribus fortunæ innitatur. adeoq; & sponsonem extra virtutis Causam, *L. 3. d. Aleat.* quippe quæ sub illa contineatur. Calorem spondendi esse refrenandum. *arg. L. locatio 9. de Publ. & Vestig.* cum incertus planè sit fortunæ exitus *L. plane. 4. ut in posses leg.* Quid? mera jactantia & inconsulto impetu ad alias sponsones prolabi homines, eosq; spe lucri invitari ad delinquendum *L. illud convenire §. 1. de Pact. Dot.* Hinc magnum inter concertantes suboriri sapius odium. Ut hætenus bene *J. Civ. cautum*, ne liceat ultra unum solidum ludere. *L. aleat. §. fin. C. de Aleat.* Et jure saxonico nullum judicem super Ludo judicare posse *Weichbild. art. 101.*

II. Ve-

II. Verum Azoni & potissimum Wissembachio ob-
vertimus. *L. si ita. 126. de V. O.* Ubi stipulatio si Titius Consul
factus fuerit *L. si quis. 63. eod.* pronunciatur valida. Item hæc va-
let: si quâ mihi nupserit decem dare dotis nomine sponses:
Si quis in Capitolium ascenderit &c. *L. à Titio 108. eod. pr.* Unde
ad oculum patet dubium fortunæ eventum sub contractum
stipulationis cadere. Quidni ergo etiam sub sponsionem?
Est enim in hoc quidem puncto eadem ratio, ergo & legis
dispositio eadem. Nec vero ullâ lege ejusmodi sponsiones
prohibitæ leguntur. Atq; in proclivi utiq; est, cuilibet esse
integrum, rem suam alteri absolutè donare, quidni ergo sub
honestâ conditione etiam fortuita transferre eandem in alte-
rum poterit. Est sc. rei suæ quisq; moderator & arbiter. *L.*
21. C. mandat. ibiq; Dn. Brunnem. quoties igitur iusta causa Spon-
sionis subest, de quâ non eadem duorum mens, negante uno,
affirmante altero, omnino eadem subsistet.

III. Quamvis vero in ejusmodi sponsionibus nullum
virtutis certamen instituatur; tamen licitæ nihil ominus ju-
dicandæ, aliâs & stipulationes ejusdem generis rejiciendæ
forent. *In cit. L. 2. §. 3.* quidem pronunciatur nulla stipulatio
sine causa facta: at negamus ejusmodi sponsionibus nullam
causam subesse. Pro causa enim hic est contentio duorum
de alicujus negotii eventu vel veritate, & ipsa apposita con-
ditio unde non solemus devenire ad sponsionem, nisi res
dubia vel contingens subsit. Atqui & ipsa sponsio non se-
cus ac stipulatio sufficiens obligationis causa existit, ubi sta-
tuit *Dn. Carpov. p. 2. C. 19. D. 18. n. 7.* Et licet quandoque causalis
sit, sufficit tamen eandem bonis moribus non contrariari.
vid. l. 17 §. 5. de præscript. verb. Ad cit. l. 3. de Aleat. supra respon-
dere occupavimus, Agit enim Jctus saltem de iis sponsi-
onibus, quæ circa corporis exercitia contingunt, statuens,
illas non valere, nisi hæc virtutis causa fuerint suscepta.
Quod si enim odio vel libidini explendæ eandem tentaverit
quispiam, factum non approbatur.

IV. Calor licitandi immodicè in vectigalibus condu-
cendis omnino compescendus venit: Sed inde male arguitur
ad 2.

ad abolendam sponſionem. Ille enim præjudicium om-
nium verſatur, quorum utiq; intereſt, ne nimium carè lo-
centur veſtigalia: hinc unius privati, cui volenti nulla fit ha-
cenus injuria. In certis fortunæ eventus non ilico facit ne-
gotium illicitum. Quam in rem elegans proſtat tex. in *L. ſi*
jacbus retis. 12. de act. emp. quæ jactum retis emi poſſe aſſeritur,
qvi utiq; ex fortunæ alea pendet. Nam & inopinatus fortunæ
imperus alteri nocere non debet, niſi ipſum ſponte in ſe iuſ-
cepèrit. Sponſiones immodicæ quidem ex jactantia pullu-
lant, neutiq; verò moderatæ. Nec propter abuſum uſus
ſtatim tollendus: Si quidem & reliquis contractibus multa per
accidens arrepunt mala, nemo tamen illos ex hoc capite eli-
minare tètaverit. *qf. Santern. de Affecur. & Spons. Mercat. p. 2. n. 7.*
Ne igitur anſam præbeant facile ſponſiones peccatis, licitas
eſſe oportet, non turpes, non iniquas.

V. A ludo porrò, de quo agit *d. L. ſin. C. male ad Spon-*
ſionem inferitur. Ille enim auſtum ambitum in jure forti-
tur, & omnem ludum, ut pote cartas luſorias taxillos com-
prehendit, qvi Luſus cum quotidie homicidiis, blaſphemiis
& jurgiis fenestras aperiant, merito intra ſuos cancellos con-
rinentur. Secus verò res ſe habet in honeſtis ſponſionibus,
quæ à viris honeſtis deliberatò in euntur; Quin imo ex eodem
ex ludum eſſe licitum extravirtutis cauſâ liquidò conſtat: Ergo
& ſponſionis juſtitiâ eodè argumento concedere cogitur qvi
adverſa partè tenent. conf. hanc in ré ſigism. *Sinckelt Obſerv. 33.*
Quod tandem *art. 101. Weichbild* concernit notant de toto il-
lo jure Interpp. *vid. Excell. Dn. Leyſer Diſſert. de Univerſ. Jur. ſtu-*
dio publicè diſſata §. 17. & 34. Virgil. Pingviz. in Illuſt. quæſt. Saxon.
dec. 1. quæſt. 46. n. 18 illud non valere niſi quatenus uſu rece-
ptum probatur. Atqui ne verbum quidem de ſponſionibus
in d. art. occurrat, qui ergo ex eodem damnari poterunt?
Quin ſponſiones potius licitas æſtimat & ſtatuit ſereniſſ. Saxo.
in ordin. Polit. de Ao. 1612. n. 12. verſ. Wie denn auch honeſtas
Sponſiones ſo extra cau am ludi geſchehen, wie an ſinem ortſ
ſtellen &c. *Dn. Carpz. in Deſin. Forenſ. part. 2. Conſt. 19. Def. 18.* ubi
Inſra hoc habet præjudicium. *Habt Ihr mit Hanſen Kolcken*
einen

etnen Bauer smann umb 10. Thal. gewettet / und gewonnen ; Da
nun die Sache / darüber gewette worden / nicht unerbar oder ver-
boten wehre / etc. So würde bemeldere Wette für zulässig billig
gehalten / und wehre Hans Rolke euch die 10. Thal. auß zu zahlen
schuldig ; W. R. W.

VI. Dùm vero quasdam Sponsiones extra virtutis cer-
tamina fecimus licitas ; exinde tamen non indistinctè appro-
bamus omnes. Hinc quæ contra Jura divina humanaq ;
quæ contra bonos mores fiunt ; & generaliter omnes turpes
stipulationes illicitæ existimandæ sunt. *Benev. Strach. de Merc.
tr. de Spons. part. 3. n. 7 p. 213.* Nam quæ facta lædunt pietatem
existimationem ; verecundiam nostram & (ut generaliter
dixerim) contra bonos mores fiunt : nec facere nos posse cre-
dendum est. *l. Filius 15. cond. inst.* Proinde horremus Sponsiones
quibus de peccato , utpote blasphemia dicenda , Adulterio
homicidio , furto .&c. perpetrandis contenditur. Nimirum
si quis Sponsionem inire velit , quod Uxorem Titii Craftina
die adulteraturus sit. *vid. Santern. cit. sup. loc. part. 2. n. 10.* Talia e-
nim facta cum abs se foedissima sint , neutiquam Sponsioni
materiam suppeditare possunt. Huc spectat , si quis alterum
bibendo se superaturum affirmet. *Santern in tr. de Spons. Mer-
cat. p. 2. n. 6 Ames. de Consc. l. 1. cap. 45. quest. 2.* Ejusmodi enim
contentio abominanda maxime est , & sapius mortem secum
portat , quin turpem plane causam continet. *Strach. cit. sup. loc.
p. 221 Cardin. Job. de Lugo. de J. & J. disp. 31. sect. 6. n. 73.*

VII. Idem censendum fuerit si causa de præterito tur-
pis Sponsioni subsit e. g. Si Titius vel Cajus interfectus fuerit.
Quod si enim Titius adhuc viveret votum captanda mortis
facile induceretur. Et aliàs de morte liberi hominis ominari
velle impium existimatur. Proinde nec illa Sponsio , si oc-
ciderit Titius Cajum , inter alias est valida. Occurrendum e-
nim malitiis hominum est *l. 8. de R. V.* Et quam facile spe lu-
cri concertans pacifceretur cum Titio pecunia data ad eadem
eò promptius expediendam. Abominamur igitur & illam
sponsionem , quæ Regem , Principem &c hoc anno morituru-
rum duo concertant. Præterquam enim quod conditio illa

inhonesta sit. *l. 17. §. 5. de præscr. verb. & tristissimus eventus l. fin. de Paët. incivile fuerit liberi hominis l. 83. §. 5. d. V. O. multo magis Principis mortem expectare. Nec auscultamus Stracha. cit. sup. loc. p. 4 n. 6. nescio quam consuetudinè mercatorū attendenti & hoc horridum pactum eadem defensuro: siquidem hæc consuetudo irrationabilis maximè est: & ejusmodi pacta contra bonos mores sunt *l. 30. C. de Paët l. 6. eod.* Quod hæctenus invictum stat, licet quis paciscentibus consenserit. nemo enim suorum mèbrorum Dominus est. *l. 13. pr. ff. ad L. Aquil.* Sed quid si de Turcorum Imperatore ejusmodi concepta spon- sio fuerit? *Santern. cit. sup. loc.* apertè ejusmodi spon- sionè ad- struit, quod non incivile sit expectare mortem inimici infidelis, & illud delictum committendum contineat in se bonū Publicum. Apponi enim ita mortem illius qui irrecuperabile sæpe damnum rei Christianæ proculdat, adeoq; tanquam sub honesta causa conceptam hæctenus admitti posse Spon- sionè. Quæ sententia fortè si hostem ut facere videtur *Santerna, Tur- cam* supponamus. Alias per ejusmodi Spon- sionem datur occasio inquirendi in fata Turcæ ante diem. Id quod nec in hostem licebit. Fides enim data est servanda.*

VIII. De illa spon- sione dubium nascitur: Num si taxil- lis ludentes Titius & Mevius concertent alterutrum plura puncta facturum, vel denarium numerum superaturum ead- em valeat? Negat *Stracha in sepius cit. tr. de Spons. p. 7. n. 2. 3. p. 219.* quod ejusmodi ludus virtutis causa non fiat, citra cuius respectum omnes damnentur ludi *pr. l. 3. §. 4 de Aleat.* Cui as- sentitur *Santern. de Affecur. & Spons. Mercat. p. 2 n. 7.* causatus, indignum esse & incivile expectare casum adversum liberi hominis *l. 83. ff. d. V. O.* At enim verò ille taxillorum ludus, ex fortunæ quidem arbitrio dependens non ilicè reprobandus venit. Sub conditione enim in fortunæ eventum licite pro- mittitur *l. 63. de V. O.* ergo & licitè spondebitur. Nam & in *l. 2. C. de Aleat.* certa ludorum genera permittuntur, quidni ergo ta- xillis ludendi ratio? Inde est, quod *Dn. Perez in C. d. T. 5* eorū usum permissum hodiè pronunciat, quicquid etiam in con- trarium afferat *Dn. Brunnem. ad d. l. 2. C. Susceptum* enim hunc ludum

ludum animi gratia oportet *arg. l. fin. pr. de Aleat.* non turpis
lucri causa. *l. i. C. eod.* Nam sponſio ſit modica non vero im-
moderata, alias non valitura. Rationem Strachianam ſu-
pra jam excuſimus. Santerna vero non damus caſum liberi
hominis hic expectari adverſum, ſiquidem juxta præmiſſa
modo monita ejuſmodi ludus exerceatur. Artes enim ale-
atorum, qui auro emungere ſimpliciores unice ſtudent, nefa-
rias ipſi re legandas procul & proſcribendas eſſe, judicamus.
Quod vero de ſponſionibus ipſorum ludentium diſſerimus,
modo: idem æque de adſtantibus ſeu inſpicientibus adſtrui
convenit. Proinde ſi ludus licitus & Sponſiones, ni aliud
quippiam acceſſerit, licitæ erunt *arg. l. 2. de aleat.*

IX. Solet quandoque ea amicorum eſſe religio, ut con-
junctiones ad ludendum maxime proclives Sponſione provo-
cent ſub certa pecunia ſumma, ſi hi in poſterum luſerint. Qui
conventionis modus, hætenus laudandus magis, quam eli-
minandus eſt *arg. l. 121. §. 1. de V. O.* quem textum ſupra perlu-
ſtravimus. Hinc *Bonavent. Strach. cit. ſup. l. p. 9. n. 2. p. 220.* ſcitè
ſcribit: *Si quis ſtipuletur ab amico qui fortè ma-
ximus erat luſor pœna nomine centū ſibi dari ſi im-
poſterum luſerit, ſtipulationem valere ea ratione,
quia ex hac boni mores non leduntur, ſed potius
conſervantur.* Sed pone alium ſpondentis nomine lu-
dere: tunc vero adhuc teneri ipſum exiſtitem, ſi alium ſuo
nomine ludere fecerit. Fit enim ita fraus conventioni. *l. 7. §.
7. de Paſt.* Et dum quis per alium ludit, haud obſcure ipſum
luſiſſe, intelligitur.

X. Sed faciamus, inter Lucium & Cajum ſponſionem de
luſtando vel currendo virtutis cauſa eſſe initam, Cajum vero
deinceps recuſare luſtam, recuſare curſum: num Lucio exin-
de præmium conferemus? Ita eſt: quia enim per Cajum ſtat
quo minus impleri conditio poſſit, eadem pro impleta habe-
tur. *l. 161. de R. J.* Eſt enim hætenus impedimento quo minus
exiſtere illa poſſit *add. l. 3. de cond. inſt. l. 50. de contrah. empr.* Et
minus currere dicitur qui planè non currit. *l. 32. de V. S. vid. Web-
ner.*

ner. in observ. Pol. Jur. voce Wetten. & Wusemb. ad d. l. 32. Sed dixeris: ita quidem recte statui si conditio potestativa fuerit; at finge eandem casualem esse: utpote Titius & Mevius se mutuo recipiunt quod velint adire nuptias Caji & si alteruter abfuerit, absentem alteri 20. tal. persolvere debere: postmodum impediri Mevium fortè propter inundationem repentinam fluminis: num nihilominus ad erogandos Titio 20. tal. tenebitur? Ita habeo. quod enim in cit. l. 161. d. R. 7. de conditione potestativa dicitur, id hic non malè ad casualem protenditur. *vid. Wusemb. ad d. l. 161. n. 2.* nec tam ad voluntatem quam eventum ipsum respexisse contrahentes videntur. *Besold. in 2. bes. Pract. voc. Wetten.*

XI. Sed ergonè idèd valet sponsio, si spondentium nihil intersit, eventum in sponsonem dectum existere? Sit Casus hic: Titius promittit Cajo 10. tal. si, Regina Masculum pepererit, & contra hic illi si Puellam. Videbatur explodenda ejusmodi sponsio, quia causa planè est extranea & certantibus invicem haud proficua. At nihil tibi motus de ejusdem infirmitate *vid. Dn. Habn ad. Wusemb. b. de aleat. n. 4 p. 765.* Nam quid mihi interest Titium in Capitolium descendere vel non: atqui tamen ita stipulari hæcenus possum *L. 4. Titio. 108. pr. d. v. o.* cur non ergo & ita spondere? Sponzione quippe facta utiq; utriq; pecuniariter interest.

XII. Proinde sequentes sponsonum modi nihil vitii præ se ferunt: quod Imp. Italiam intraturus sit: vel non. Rex Portugalix coronandus sit vel non. Titius futurus Senator vel non. Nullam enim Turpem causam illæ, ut nunc quidem est, spirant, *vid. L. 17. § 5. de præf. verb.* huc illa quoq; referenda, quæ de Masculo vel femina nascituris initur: uterq; enim spondentium in re licita lucro & damno se exponit *adi. Molin. de J. & J. ir. 2. Diss. 509. n. 1.* Sed fac, hermaphroditum fuisse editum, quis tum reportabit victoriam? Putamus hermaphroditum ejus sexus æstimandum, qui in eo prævalet, *L. queritur 10. ff. de stat. homin.* In dubio vero pro masculino pronunciare JCTi solent. *vid. Gorbofr. ad. l. L. 10 n. 27.*

XIII. Multas modo Sponsones ex nudo etiam fortunæ de

na decidendas eventu fecimus licitas : quæstionis porrò est
haud tralaticia, num adhuc eadem subsistant si alteruter no-
titiâ polleat rei, de quâ contentio inita fuit? Non frustra, ut
opinor erimus si hic discrimen adstruamus, inter sponsiones
ejusmodi à dolo liberæ: & dolo junctas. Illas approbamus;
has rejicimus. Ita sume speciem hanc: Titius fortè memo-
rat, Mevium allectum iri inter numerum Senatorum, Cajus
inaudienti & contrario nuncio fortè persuasus strenuè negat,
Titius seridè adhuc affirmat seq; eo nomine certio rem plane
fuisse redditum verò si Cajus insistat suæ opinioni, alterrumq;
ad Sponsonem provocet, nihil impedimenti eidem creatur:
Sufficit enim rem deducendam in concertationem ab una
parte dubiam censi. *vid. Job. de Dicassill. de. 7. & 7. L. n. T. 18.
disp. 5. D. 1. n. 7.* E contrario siste tibi hunc casum: Titius Sci-
ens valeriam enixam esse masculum, is vero dissimulato par-
tu, Sempronium omnium ignarissimum ad sponsonem per-
ducit, super partu edendo ex eadem Valeria statuta certa vin-
centi pecuniæ summa: tum verò averlarer ejusmodi Spon-
sionem; quippe ad quam alter dolo inductus fuit. Nemini
enim malitia sua debet esse lucrosa *L. 1. de dol. mal.* Sed ergone
ipso jure non subsistet sponsio, an demum exceptione doli
irritanda erit? Affero posterius. Propter modos enim suos,
quibus perficitur sponsio, induit stricti juris naturam, : cu-
jusmodi negotia nec ob dolum dantem causam contractui ip-
so jure erunt nulla. Proinde subtilitate juris obligatio adest
L. 36. de V. O. Sed jure Prætorio rescinditur *vid. Zoës in. ff. de. dol.
mal. n. 24. in f. opposita*, ut dictum, doli exceptione *L. dolo. 5. C.
de Inutil. stip.* propter ignorantiam, qua est alter, probabilem,
nec donatio hic præsumi potest. Quod si vero solverit vi-
ctus ex ejusmodi negotio, habet actionem de dolo *Dn. Rich-
ter. Dec. 87. n. 13.* Quinimo & stellionatus crimen vix amolietur,
quia dolo fecit ut iniretur Sponsio *L. 3. ff. Stellion.*

XIII. In æqualis quoq; Præmii stipulatio sponsioni
annexa ancipitem controversiam suppeditat. Titius & Ca-
jus, de Argentina fortè à Rege Gallix capienda vel non
sponsonem arguunt; alter promittit Victori 100: 200. tal. vero
alter:

D

alter : quæro num̄ inde vitietur ipsa sponſio. Dixeris doli mali exceptionem omnino alteri, qui plus promiſit eſſe paratam. Qui enim petit ex cauſa ſtipulationis, quæ in ſe dolum continet, hoc ipſo dolo facere videtur quod petit. *L. ſiquis, 36. de. V. O.* Atqui vero reſcindi quoq; contractus ſponſionis poterit arg *L. 2. C. de reſe. vend.* Sed tu quem mihi hic dolum fingis? Anne & ſcientibus fraudem fieri arbitraris? Conuenere ita ex certa ſcientia, ex certo & præmeditato conſilio contendentes, ideoq; omninò rata manebit ſponſio. Pacta equidem dant legem contractibus. *L. 186. de. pos. & ipſam adeo ſocietatem, quæ alias jus fraternitatis deſiderat L. 63. pr. pro Soc.* haud quaquam evertit inæqualitas §. 2. *7. L. 30. ff. eod.* Nec quicquam facit reſciſſionis opinio, cui adhærere quoq; Strachæ *cu. ſ. Loc p 229* videtur, ſtatuens ſponſionem eſſe reſcindendam, non ſecus ac in tranſactione, ſi deceptio ſit ultra dimidium juſtæ æſtimationis : datur enim beneficium, *d. l. 2. C. Laſo:* Sed verò ineptè læſum dixeris, qui ſciens tali conditione conſentit. Volenti injuria non fit. *L. 1. § 5. de Irjur. L. cum donationis 34. C. de tranſact. & quod culpa ſua quis damnum ſentit non ſentire intelligitur. L. 203. de R. 7* Strachæ mentem non ſatis aſſeſſor, dum deceptionem hic ſupponit, quæ in ſciente & volente ægrè Locum ſibi vindicabit. Neq; vero planum eſt, jure Civili in tranſactione remedium *d. l. 2. C. admitti locum ſibi vindicare* reclamat Wiſſemb *ad d. l. 2. per. l. lucius. 78. §. ſi. ad Scrum Treb. L. in ſumma 65. §. 1. de cond. indeb.* ut ut contrariæ ſententiæ tanquam æquiori viſæ Tribunalia ceſſiſſe idem ingenuè fateatur.

XV. Sponſionis contractum de ænigmate Samſonis removet ex claſſe licitarum *Amefius de Conſe.* Poſtea enim ab ipſis Philiftæis illum fuiſſe damnatum, quod tetenderit ad ipſos hereditate ſuâ ſpoliandos. *Jur. 4 v. 13. ſeqq.* Contra quæ ſentit. Wiſſemb. *ad ff. T. de Aleat. n. 18. in ſ. qui eum laudat.* Simſonis quidem exemplum alias ſingulare eſt : interim circa ejuſmodi Sponſiones alias à partibus Amefii ſtare placeret, ſiquidem patent ænigmaticæ Sponſiones in utramq; partem ; hinc ab iis fraus propè abeſſe videtur. Captatorias nempe
Sponſi-

Sponsiones supra jam sequestravimus. Non igitur facere possumus cum Alciat. *tr. de præsump Reg. 3. præsumpt. 27. p. 711.* qui ex natura actus æstimat licitam esse captionem in Sponsionibus, cum sint stricti juris *l. si rem § fin. de præscript. verb. Repugnant enim ejusmodi circumventiones & strophæ æquitati & ipsi adeo bonæ fidei, cui, quam fraus nihil adversatur magis.* Nec enim verba captare seu contrahentium s. spondentium oportet: Sed quâ mente quid dicatur animadvertere convenit *l. pen. ad exhib. Huetraho l. 5. de transact. cujus verba hæc sunt: Cum Aquiliana stipulatio interponitur, quæ ex consensu redditur: lites, de quibus non est cogitatum in suo statu retinentur. Liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentium fregit.* Unde in apriço est id de quo cogitatum verisimil. fuit in contractum non intelligi deductum. Proinde & merito sponsiones contemnuntur captioni obnoxias. e. g. si quis cum altero velit certare, se nosse hominem Christianum & maxime religiosum, Titium forte, qui non eat ad mensam Domini, alter sciens ipsum Sacra Synaxi sapius usum id verò affirmet: Sponsione demum inita provocans mentem suam explicet, Titium non ire ad mensam Domini, cum sit claudus. Nec quicquam juvat Alciatum, quod Sponsiones dicantur stricti juris, nec enim contractus idèò stricti juris nuncupatur quod liceat in iis fidem negligere: Sed quod iidem præcisè ex cõventionis tenore judicari debeant.

XVI. Tandem & illas Sponsiones exesse jubemus, quæ immodicam summam pro objecto substratam habent. Sed quodnam dicatur immodicum præmium, non usq; quaq; liquet. Putaverim mihi cum *Paul. Math. Webner. in Pract. Obsev. voc. Wetten*, hanc summæ determinationem arbitrio judicis subjacere, qui eam moderari & deminuere possit, judicare enim ipsum oportet, num conditioni personarum accommodata sit Sponsio, ceterasq; circumstantias accuratius expendere. Sed vero hanc determinandi potestatem negat *judici Dn. Carpz. p. 2. Const. 19. Dec. 18. n. 17. seq.* Rationes sub-

nefit, quod pacta conventa servari oporteat : neque hæc inhonesta reddi ex quantitate summæ cui se utraq; pars propria conventionem obstrinxerit *arg. l. 1. l. 7. de Pact.* Interim ambigo valde, num hæc sibi sententia satis constet. Pacta quidem servari fas est, quatenus nec in causa, nec in objecto nec modo &c. contrahendi quicquam vitii prædominatur. Ita & stipulationes servandæ sunt & tamen si dolo initæ fuerint rescinduntur *l. 36. de V. O.* Jam fac plebejæ & paupertinæ fortis hominem cum altero sponsonem 100. talar. iniisse, cujus facultates vix ad tantam summam pertingant: tum vero ei, prout visum fuerit judici detrahendum aliquid erit ne propter concertationem planè egere deinceps cogatur. Ad pecuniam igitur ex sponsonibus debitam agi quidem potest; sed salva moderatione judicis, uti tradit Celeberrimus Jctus Dn. Joh. Philippi *in usu Pract. Inst. Justin. ad §. 4. f. d. V. O. n. 10. & seqq.* ibi: *Es wird aber die moderation berührter Wetteg dero Richterlichen Ambt billich anheim gestellet.* Porro non inhonesta statim hujusmodi redditur sponso; Sed ejus saltem summa per Judicem temperanda venit.

XVII. Forma Sponsonis poterat quidem statui stipulatio, quemadmodum & Tabor cit. loc. ad stipulationes reducit Sponsones: interim quia Sponso & pacto fieri potest, & aliud utiq; est ipsa Sponso, aliud conventio seu modus per quem fit Sponso; ideoq; potius forma erit ipsa conventio de eventu vel veritate alicujus rei sub spe præmii. Atque ita differt à contractu stipulationis, cui conventio per se non subest: deinceps etiam differt ab actu inter se stipulantium, siquidem per se ibi non subest spes præmii pecuniarii. Illud quoque advertendum lest ad formam Sponsonis præcisè non desiderari conjunctionem seu commissionem manuum, siquidem potius solenne aliquid vel confirmationis indicium ea subit: nisi forte moribus regionum aliter sit receptum, ut scil. nulla habeatur sponso perfecta nisi illa accesserit.

CAPUT

CAPUT V.

De

Modis ineundi Sponsiones & Acti- onibus inde pullulantibus.

THES. I.

NOn uno modo perficitur sponsio, sed modo conventio-
ne nudâ, modo vestita, & hâc ratione aliâs con-
tractu innominato, aliâs nominato. Pacto Sponsionem cele-
brari posse cogit nos credere l. 1. §. 3. de Pact. ubi Jctus
ambitum latiore conventionis seu Pacti v. Vinn. tr. de
Pact. c. 1. delineaturus format regulam: *Conventionis*

*sc. verbum generale esse & ad omnia pertinere, de
quibus negotii contrahendi transigendiq; causa cõ-
sentiunt, qui inter se agunt.* Id quod illustrat statim à
simili ab actu corporali petito. *Sicut enim dicantur
convenire qui ex diversis locis in unum colliguntur
& conveniunt: ita & qui diversis animi motibus in
unum consentiunt i. e. in unam sententiam decur-*

runt. Quæ verba sufficienter probat in quævis negotia,
quæ consensu peraguntur adeoq; & sponsiones, patere pacti
latitudinem. Nam & in his ad unam sententiam se recipiunt
spondentes, quod velint in eventu existente vel veritate li-
quida acquiescere promissaq; adimplere. Confirmat porrò
suum assertum Jctus ex auctoritate suppeditando simul exē-
pla, quorum in doles diffusiore illum ambitum apprimè
comprobat, quando pergit: *Adeo autem conventionis
nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius, nul-
lum esse contractum, nullam obligationem, quæ nõ
habeat in se conventionem, sive re, sive verbis fiat:*

D 3

nam

nam & stipulatio, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. Unde iterum liquet pactum seu conventiones ad sponsones quoq; referri, quippe quibus obligationem subesse, & supra meminimus & inferius attingemus.

II. Contractu quoq; innominato intercedente Sponsones fieri posse, auctor est Dn. Hahn. *ad Wesemb. Parat. tit. de Aleat. n. 4 p. 765.* utpote si uterq; spondentium apud tertium aliquem, futurum arbitrum Sponsonis rem aliquam deponat, ut is tradat ei qui victor exsiterit, *add. Carpz. p. 2. c. 19. D. 18.* Sed inquis: tali in casu potius inter arbitrum & spondentes, quam hos invicem contractum innominatum intelligi celebratum. Quorsum facit *l. 17 §. fin. de Praescrip. verb. &* quam ad eam sparfit doctissimus *Wissemb. ad T. ff. de Aleat. l. 18* commentatio: *Ind l. 17 proponitur sequestrationis quadam species, cum apud iudicem sponsonis vel certaminis utraq; ex parte ponitur pignus, in certamine in quo sponsonem facere licet: Sequester qs. ex novo negotio tenetur praescriptis verbis actione, ut rem victori restituat.* Verum unius positio non est alterius exclusio. Licet enim actione innominati contractus conveniri possit arbiter, nihil tamen impedit, quo minus & inter ipsos spondentes innominatus contractus dicatur celebratus. Est enim contractus innominatus, cui subest causa *l. 7. §. 2. de pass.* Jam si Titius & Cajus de re concertaturi ea conditione sponsonem ineant, ut res prius deponantur apud tertium causa omnino cernitur, atque ita innominato contractu Sponso perficitur & si alteruter forte Sponsonem recuset actio praescriptis verbis competit. *Besold. in Thes. Pract. voc. Wetten.*

III. Stipulatione quoq; sponsonem contrahi posse, omnino indubium est. Sicut enim conditiones haud incommodè verborum obligatione comprehenduntur. *arg. l. si quis. 57. de V. O.* ita & sponsones apte per eandem celebrantur. Pro diversitate igitur suorum modorum diversas producit actiones

ctiones sponsio. Quod si nudo pacto inita sponsio fuerit, dicitur scrimen hic advocandum est inter Jus Civile: & Canonicum, Morumque. De jure Civili tali equidem casu non obligatio Civilis, non actio; sed naturalis, sed exceptio tantum generatur. Nam ita habet l. 7. §. 4. de Pact. *Sed cum nulla subest causa propter conventionem, hic constat non posse constitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem non parit, scilicet efficacem, sed parit exceptionem.* Hodie vero conditio ex moribus spondentibus per pactum conceditur. Dn. Habn. s. Loc. arg. l. un. C. de condit. ex lege.


IV. Porro si contractus innominatus intervenerit, uti modo dicere antevertimus, obligatio efficax & actio præscriptis verbis gignitur arg. l. 17. §. fin. de præscr. verb. quæ & contra tertium apud quem res deposita fuit d. l. 17. §. f. & contra alterutrum spondentium intentari potest, qui conditionem quam possunt, implere nolunt conf. Strach. de Spons. cit. s. Loc. p. m. 236. Tandem si stipulatio intervenerit, actio ex stipulatu radicitur, si eventus vel veritas negotii apparuerit. Bene hanc in rem Stracha. cit. s. loc. pag. 236. scribit: *In eo genere clarissimi juris est, ex stipulatione duas proficisci actiones tam conditionem certi, si certa est stipulatio, quam ex stipulatu si incerta* pr. f. d. V. O. Vocatur vero certi conditio respectu rei stipulationi inclusa: quando ap. quid quale quantumque stipulationis debitum conficiat, ultro patet. vid. l. 74. seq. de V. O. & Vinn. ad pr. f. d. T. Quod si ergo stipulationis modo peragitur sponsio, omnino stipulationum actiones primas tenent.

V. Loco affinium sint olla fortunæ, & Latrunculorum ludus. Et vero illam esse licitam ex arg. l. 8. §. 1. de contrab. empr. discere habemus, cujus verba hæc sunt: *Aliquando tamen & sine re venditio intelligitur; veluti cum*
qs. alea

qs. alea emitur, quod fit, cum captus piscium, vel
avium, vel misfilium, emitur. emptio enim con-
trahitur etiam si nihil inciderit: quia spei emptio
est. Et quod misfilium nomine eo casu captum est, si
evictum fuerit, nulla eo nomino exempto obligatio
contrahitur, quia id actum intelligitur. Modò tamen
ejusmodi ollæ ad evitandas fraudes auctoritate publica ex-
erceantur, ne sc. nimium multæ infelices schedula miscean-
tur. conf. Dn. Struv. Exerc. 15. ab. 18. ibiq; cit. Autores. De ludo
latruncolorum, quos Schacos vulgò vocant suspendere qui-
dem iudicium Willemb. ad T. ff. de Aleat. n. 19. videtur: sed ita-
tim accuratiss. distinctione, omne dubium eximit, discrimè
adstruendo inter usum & abusum. Certum enim est ejusmo-
di lusum ingenia hominum prolicere & præparare veluti ne-
gotiis libratissimum ab utraq; parte iudicium exposcenti-
bus.

VI. Ex contrariis sponsonum hinc atq;e illinc qua-
dam injecimus. Ita enim de captatione in verbis sponsonis
naturæ maxime reluctantæ supra vidimus. Tum quoq;e do-
lum irritare illam v. l. 36. de V. C. in honestam vero causam e-
am plane nullam facere notabamus. vid. l. 17. §. f. de præscr. verb.
Præter hæc, vim, metum, errorem vitare concertatione abs-
se patet. Illa enim consensum omninò desiderat, qui vero
errat haud consentit l. si per errorem. 15. de Jurisd. Sunt enim
consensus & error contraria, quæ non capit unum subje-
ctum. Sed hæc de Sponsonibus disseruisse suffi-
ciat.

SOLI DEO GLORIA.



X2615925

VDA7





Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



1668
10
26

N. J.
TIO JURIDICA
De
IONIBUS,
QUAM,
TORUM WITTEBERG,
RDINIS
SENSU,
ESIDE
IMO atq; AMPLISSIMO
FREDO Strauß/
U. L.
P. P.
US Geng/ Dresd.
n Auditorio JCorum
matutinis.
hannis Haken, M. DC, LXVIII.

(4/27)

52.